

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Gabriel Pries

**De Scriptoribus Profanis, Rerum Sacrarum Testibus, Fide Non Dignis : Qvam Ad  
... Natalem ... Domini Friderici, Dvcis Regnantis Megapolitani ... Die IX. Novembr.  
A. R. S. MDCCLXX. Pvblica Pietate Celebrandvm ... Invitaret**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1770]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881600229>

Druck    Freier  Zugang





MK-9453.(2)





## Inhalt:

Progr. 2. Geburtstagsfeier des Landesfürsten 1754 m. Abh.: Pries, Jón. XVI, 43.

Progr. 3. Geburtstagsfeier des Landesfürsten 1755 m. Abh.: Pries, De div. Cog. Mosaic. protestantia.

1756 " " " " " " " " " "

1757 " " " " " " " " " "

1759 " " " " " " " " " "

1763 " " " " " " " " " "

[1762 steht Mk. 5:16.]

zur Friedensfeier 1763 " " " " " " " " " "

Geburtstag d. 1764 " " " " " " " " " "

1765 " " " " " " " " " "

1766 " " " " " " " " " "

1767 " " " " " " " " " "

1768 " " " " " " " " " "

1769 " " " " " " " " " "

1770 " " " " " " " " " "

1771 " " " " " " " " " "

1772 " " " " " " " " " "

1773 " " " " " " " " " "

1774 " " " " " " " " " "

Reformationsfest 31. Oct. 1775. " " " " " " " " " "

Geburtstag d. Landesherrn 1775 " " " " " " " " " "

1776 " " " " " " " " " "

1777 " " " " " " " " " "

1778 " " " " " " " " " "

Gedächtnisf. f. Herzog Friedrich 1785.

Einführung d. Fürstl. Fröhs. 1789. " " " " " " " " " "

off. Schulprüfung 1789.

Cantata 2. Lehrer-Einführung 1789.

1792 " " " " " " " " " "

1793 (Winter) " " " " " " " " " "

1793 (Sommer) m. Abh.: Fuchs, Ex. Evang. ostendit. quoniam...

1796 " " " " " " " " " "



174

DE  
SCRIPTORIBVS PROFANIS, RERVM SACRARVM  
TESTIBVS, FIDE NON DIGNIS,



Q V V M  
AD GLORIOSISSIMVM NATALEM  
SERENISSIMI DVCIS, PRINCIPIS AC DOMINI,

# DOMINI F R I D E R I C I,

DVCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI,  
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE,  
SVERINI AC RACEBVRGI, COMITIS ITEM  
SVERINENSIS, TERRARVM ROSTOCHII AC  
STARGARDIAE DYNASTAE,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

SOLLEMNIORIBVS PUBLICISQVE ORATIONIBVS  
IN GYMNASII AUDITORIO MAIORI  
DIE IX. NOVEMBR. A. R. S. CICIO CCLXX,  
PUBLICA PIETATE CELEBRANDVM,

PATRES VTRIVSQVE REI PUBLICAE

HUMANISSIME ET OFFICIOSISSIME INVITARET,


NON NULLA PRAEMISIT

M. IO. GABR. PRIES,

DVCALIS GYMNASII GYSTROVIENSIS RECTOR.

---

ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.





Quamquam scriptoribus profanis, res gentis sua  
gestas commemorantibus, omnis diligentiae  
ac dexteritatis laus iure meritoque est tribu-  
enda; omnem tamen iis, quando populi Iu-  
daici rei publicae sacrae, ac ciuilis formam,  
leges et instituta, quibus vtriusque salus et pro-  
speritas fuit innixa, ac varia fata, et vicissitudines exponunt,  
aequus rerum antiquarum aestimator denegabit fidem atque  
au<sup>t</sup>oritatem. Quodsi enim eorum testimonia cum Mosis, di-  
uini et omnium scriptorum antiquissimi, oraculis conferas; fa-  
bulas potius Milesias, quam historias eos conscripsisse putares.  
Tanta enim est ipsorum negligentia, inconsiderantia, ac men-  
tiendi libido, vt, si suae gentis historiarum monumenta non  
intentiore cura et diligentia compoſuissent, nunquam accidere  
potuisset, vt ad nostram eorum scripta peruenissent aetatem.  
Non est, quod mireris, si Graeciae ac Latii scriptores omni-  
bus, quae historicum efficiunt fide dignum, plane destitutos  
fuisse virtutibus, diligentissime reputes. Historia enim, teste

( 2 )

Cice-



Cicerone, est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, et nuntia vetustatis, eiusque lex prima est: nihil dicere falsi, nihil dissimulare veri, sine suspicione vel gratiae, vel similitudinis scribere 1). Historiarum igitur conditor, nisi vera dicere possit, ac velit, vix nomen tuebitur, nec illa fide dignus est habendus. Vera autem is modo exponit, qui rerum, quas enarrat, cognitione est instructus indubia et accurata. Quod vero nulla ratione fieri potest, nisi ipse rebus interfuerit, easque oculis perlustrauerit; vel ex aliorum, quorum fides aequa certa et firma est, commentariis optima quaeque hauserit, vel alia ex melioris notae viris, qui rei gestae praesentes adfuerunt, eamque fideli memoriae tradiderunt custodiendam, et ipsi fallere noluerunt, commemorata perceperit. Nullum igitur impetrabit adsensum, qui rumori ac famae, quae omnia in maius extollit, et vires acquirit eundo, aut traditionibus et sermonibus vulgaribus nimis confidit. Malitia enim hominum falsum venditat pro vero, mox petulantia aliorum credulitati et simplicitati imponit, et mox ingenii vigor, si qua memoria exciderunt, alia fingit, quae in illorum locum substituat.

Omnia haec scriptoribus Graecis et Romanis, rerum populi Iudaici memoriam ad posteros propagaturis, certae et indubitatae cognitionis subsidia defuisse, qui non facile intelligat, arbitror fore neminem. Res enim, quae ab ipsis sunt expressitae, remotissimis ab ea, qua ipsi floruerunt, aetate perfectae sunt temporibus. Istorum igitur scriptorum ne ullus quidem testis oculatus adferri potest. Nullum quoque ab aliis historiarum monumentis, quinque nempe Mosis voluminibus, unico et verissimo vetustioris historiae Iudaicae commentario, potuit arcessi auxilium. Erant enim hi libri sacri adeo rari, ut ipsi proceres huius populi, ac sacerdotes, eos unquam fuisse conscriptos, ignorarent. Dictis fidem abunde facient, quae de Iosia, religioso Iudeorum Rege, eiusque studio, istos libros, postquam tamquam blattarum et tinearum epulæ putrefabant in arca, in lucem vindicandi, relata legimus. Finge, quaequo, Graecos Romanos forte fortuna codicem hunc acceptasse,

1) Libr. II. de Orat. C. 9.



pisse, aut vi extorsisse: nihil tamen inde lucri eos fecisse, fatearis, est necesse. Hebraeus erat, quem ob linguae, quam huius gentis victores discere aspernabantur, ignorantiam nec legere poterant, nec intelligere. Hebraeo quoque vti non poterant magistro, qui religionis suae praeceptis eos imbueret. Grande enim nefas, ac morte piandum erat, si quis alium quemquam praeter populares ad illos aeternae salutis fontes admitteret 2). Publica praeterea sacra siebant, Iudaica adhuc florente re publica, in templo Hierosolymitano, eiusque atrio interiori, cuius frequentandi nemini, nisi in diuinioris doctrinae capitibus probe instituto, concessa fuit libertas. Ne enim alii, a Iudaica religione et sacris abhorrentes, istuc progrederentur, sanctumque profanarent locum, duae positae erant columnae, quibus, teste Iosepho, erat inscriptum: μὴ δέν αἰλούρων ἐντος τῷ αὐγί παριέναι, nemini licere alienigenae in locum intrare sanctum 3). Nec denique ex versione graeca Alexandrina, nec ex Iosephi antiquitatibus certa rerum Iudai- carum cognitio potuit hauriri. Illa infinitis scatet terroribus 4). Et quod ad Iosephum attinet, non denegandam ei esse existimo omnem auctoritatem, sed ea lege, ne temere illi fides habeatur vbique, aut solus citetur Iudaicae, et sacrae antiquitatis testis. Clarissimis enim patet indiciis et argumentis, eum et sermonis patrii solidae cognitionis, hinc et rerum antiquarum, rudem et ignarum fuisse. Hebraica nomina a graeca origine deriuare audet, ipsius Hierosolymae vrbis vocabulum sacra solyma. Lapidis, a Samuele in victoriae monumentum excitati nomen, אַבְן עָזֶר, fortē significare credidit. Columnas tabernaculi, atrium cingentes, aeneas fuisse memoriae prodidit

2) Testes habemus magistros Talmudicos, qui diserte indicant, אין דברי תורה לגוי: מוסריין דברי תורה: licere nemini verba legis docere alienigenas, in Codice Gemarico חניגתא Fol. 13. Hinc et Iuuenalis satyr. XIV. 102 Mosis volumen arcanum appellat, quia nemini, nisi religionis Mosaicae cultori, sacros istos legendi libros data erat facultas.

3) de bello Iudaico Libr. V. C. 5.

4) vid. Progr. de LXX. Interpretibus.



prodidit 5), quas ligneas tradit sacer codex, aeneis duntaxat basibus innixas 6). Decem millia lychnuchorum aureorum in templo Salomonis comminiscitur 7), quum decem tantum fuerint 8). Et quis est, qui nesciat? Iosephum cultum Iudaicum accommodasse ad instituta reliquorum populorum eo consilio et mente, ut augustior et acceptior Romanis videretur religio Iudaica, quam ut absurdam et folidam perpetuis conuiciis lacerabant. Ita enim in dedicatione templi Salomonis fragrantissimum odorem repleuisse aedem singit; quum nubis mentio modo fiat in sacris litteris: quo et DEVMI Iudeorum eadem ratione adparuisse inteligerent Deorum cultores, quemadmodum Deos suos praesentes implere omnia suauissimo odore fuerant commenti.

Scrupulum vero ac dubitationem nobis iniicere student, qui viros eruditionis ac sapientiae laude conspicuos, Pythagoram, Platonem, aliosque in Aegypto cum populo Iudaico esse versatos arbitrantur, ut in religionis praeceptis ab illo imbuerentur 9). Sed nobis veri simile non videtur, Philosophos istos ad hunc populum, qui erat morosus, difficilis, superbus, rufis et ultra lateres et allium Aegypti vis sapiebat, quem sacrilegii reum faciebant, et scabie aliisque morbis grauiissimis infectum omnes gentes vitabant, in religione, quam ipsi Aegyptii auersabantur, institutionis causa esse profectos. Confirmare hanc sententiam student in primis Platonis doctrinarum consensu cum lege Mosaica, Loca vero,

5) Antiquit. L. III. C. 6.

6) Exod. C. XXVII. v. 10 seqq.

7) Antiquit. L. VIII. C. 3.

8) 2 Paral. C. IV. v. 7.

9) Ex quorum numero potissimum notari merentur P. Dan. Huetius in Demonstr. Euangel. Propos. IV. C. 2. Io. van der Wayen in Dissert. de λόγῳ aduers. Clericum p. 65. Ren. Massuetus in Dissert. I. in Irenaeum et alii. Non tamen ita se commendauit haec opinio, ut non viri praeclarci, abiecto antiquitatis praejudicio, perspicerent clarissime, infirmis eam niti argumentis, id quod varia ratione demonstrauerunt Io. Clericus in Epist. Critic. VII. Aeg. Menagius ad Laërtium L. III. Io. Frid. Buddeus in Hist. V. T. Tom. II. Iac. Basnage Hist. des Juifs L. III. ch. 20. Rad. Cudworthus p. 635. et alii.

vero, quae adferunt, vel ex rationis sanioris lumine innotescunt, vel si rite spectentur, longe alia referunt, ac sacra volunt oracula, id quod vel solum adorandae Trinitatis mysterium luculenter illustrat. Illud enim a Trinitate Platonica adeo discedit, ut mirum vtique sit, qui fieri potuerit, ut tanti viri Platonis doctrinam cum Mosaica consentire fuerint arbitrati. Tres enim illae diuinae personae, vnde tamquam **ex** initii suis, res vniuersas profluxisse opinabantur, fuerunt  $\epsilon\nu$ ,  $\nu\beta\zeta$ , et  $\psi\chi\eta$ , seu monas, mens, et anima. Quare et alii recte reiecerunt, quicquid in Platone huic doctrinae ve- lificari videtur, ad poëticum dicendi genus, notiones animi, vel attributa Dei profanorum scriptorum more in personas mutans, vel personarum habitu potius inducens. Afferunt denique viri illi clarissimi Homericas Hesiodeasque fabulas, iisdem, ut putant, quibus Moses fuerit vsus, dictiōnibus conscriptas, v. g. de Oto, et Ephialto, ossam Olympo superstruentibus, a turri Babylonica deductis, de ate, diabolum e caelo deiectum designante, de hortis Adonis, et Hesperidum a Paradiso deriuatis, de Niobe, ac Baucide, Philemonis vxore, Lothi coniugem, in saxum conuersam denotante, de Iphigenia, a Iephetae filia desumpta. Quare et inde colligunt, haec omnia ex sacro codice hos poëtas in sua transtulisse carmina. Sed admodum debilem haec exempla habent similitudinis cum Mose, aliisque diuinis scri- ptoribus vmbram. Et quis denique est, quem fugiat? omnes ac singulas gentes multas communes de **D**e rebusque diui- nis habuisse opiniones atque traditiones.

Ex his, quae modo disputauimus, satis liquet, scriptores profanos, qui populi Iudaici historiam adgressi sunt, in- dubitata rerum huius gentis cognitione non fuisse imbutos. Restat nunc, ut de altera historiarum conditoris virtute, vo- luntate nimirum ac studio verum scribendi, dicamus. Sed ab huius rei vberiori disquisitione nos reuocat Natalis DVCIS nostri regnantis, FRIDERICI, laetissimus. Immortales non modo DEO O. M. agent gratias, quod votorum, supe- rioribus annis pro serenissimi DVCIS salute ac prosperitate publice nuncupatorum, sumus damnati, sed et diutinam Eius- dem



dem felicitatem porro a summo vitae arbitro impetrare satagent nonnulli Iuuenes, ad meliora quaevis adspirantes. Dicent namque crastino die post horam IV. pomeridianam hoc ordine.

I. GODOFREDVS IACOBVS CHRISTIANVS PRÜSSING,  
Badendieck-Megapolitanus: de Principum die Natali, scholis sacro, orationem Germanicam dicet.

II. IOANNES IACOBVS KOCH, Gustrouiensis; Horatii verba in arte Poetica: siluestres homines sacer interpresque Deorum seqq. carmine Latino interpretabitur.

III. ADOLPHVS FRIDERICVS VTERMARK, Gnoyensis, de Principe, non praeceptis, sed exemplis instituendo, Duce Plinio in L. III. Epist. XVIII. Gallice declamabit.

IV. RVDOLPHVS FRIDERICVS CARNATZ, Parchimensis, de vero vitae longaeuae conceptu orationem habebit Germanicam.


V. BERNHARDVS IACOBVS DANIEL NEVMANN, Gustrouiensis, verba Curtii: perniciosa est adulatio, perpetuum Regum malum, quorum opes saepius assentatio, quam hostis euertit, Libr. VIII. C. V. oratione illustrabit Latina.

VI. CAROLVS GVSTAVVS FRIDERICVS NEVMANN, Gustrouiensis, Prudentii versus:

Nimirum pulchre quidam doctissimus, esset publica res, inquit, tunc fortunata satis, si vel Reges saperent, vel regnarent sapientes, carmine exponet Germanico.

Vos denique rogatos volo quam officiosissime, Gustrouiae nostrae praesidia partim, partim decora, Viri Omnia or- dinum spectatissimi, vt pietatem votaque nostra accendatis, orationesque Tanti DVCIS Natali sacratas benevolentissimis excipere dignemini auribus.


P. P. Gustrouiae, d. VIII. Nouemb. cIcIcCCLXX.














als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen  
heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-  
gungen entstehen, mit sanftmuthigem Ernst  
hun. Er weis es, daß die Religion, die Christus  
dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,  
ehrliche und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.  
es, daß die so theuer erworbene Bekennnißbücher  
Kirche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit  
onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle  
nigen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten  
! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen  
Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer  
abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-  
gion macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,  
lthätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-  
en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Re-  
genz — — — gegen unsern Musentempel Gele-  
Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-  
J zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das  
der Reformation des großen Luthers am 31sten  
durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses  
mäh ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-  
Preise iährlich erneuert, und unter fleißige und ge-  
schüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit  
wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-  
seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,  
e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-  
th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-  
auf einem seiner Rittergüter gefeiert, und war  
n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des  
und Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-  
reichen